reuerentie et subiectionis unius dei cultum docent. per quod ad coronas pue-
runt. Stantibus coram quattuor animalibus; dum tota prophetie scriptura in euangelio imple-
ta est. Galeatum. munitum uel armatum. Galeatum principium ideo dicitur. eo quod omnibus
libris de hebreo uersis munimen esse possit. Apocrifa. occulta uel dubia.
Seponendum. separandum. dictum quasi seorsum pono. Frasin locutionem uel
interpretationem. Paraphrasten non dissertorem. id est non bonum interpretem. Pelles
et cilicia. fortitudinem et laborem in ecclesia que temptationibus et persecutionibus
bonum resistunt. Canticum canticorum. per excellentiam carminis. Sapientia
salomonis apud hebreos non inuenitur. quod antea nesciebam. in septuagin-
ta et in latinis codicibus.

In libro Regum.

Ramatha ciuitas. ipsa est que in ueteri translatione aromatica dicitur.
uel arimathia. et fuit elchana et samuelis in regione tamnitica
iuxta diospolim unde fuit ioseph qui in euangelio de arimathia fuisse describitur.
Sophim montis in tribu effraim et ascendebat uir ille de ciuitate sua. hic osten-
ditur tabernaculum dei in sublimitate constitutum fuisse. Ascendebat st. g. sta-
tutis diebus. id est pascha. pentecosten. scenophegia. sicut in lege precipitur. In sylo.
Sylo est in tribu effraim in quo loco archa testamenti fuit usque ad tempus samu-
elis. est autem quinto decimo miliario neapoleos in regione arabitica;

Fuit uir unus de ramathaim sophim de monte effraim et nomen eius
elchana. filius hieroboam filii helui. filii thau. filii suph eufrateus.
Ramathaim interpretatur duo excelsa. et hec duo excelsa due intelliguntur tribus.
Regalis uidelicet et sacerdotalis. Quod pater elchane de tribu fuerit leui. liber para-
lipomenon plenissime docet. in quo series genealogie illius usque ad leui perduca-
tur. Matrem quoque eius de tribu iuda extitisse monstratur in eo quod effrateus uocatur.
Effrateus ab effrata uxore caleph quem constat fuisse de tribu iuda dictus est.
Et si quem mouet quod ab ephraim non ab ephrata ephrateus uocetur. uideat
in subsequentibus quia et dauid filius ysai effratei uocetur. cum liquido pateat eundem
ysai non de ephraim sed de tribu iuda extitisse. et probet eundem helchanam et